





11

1771, 3

FACULTATIS IURIDICAE 58

DECANUS

ADAMUS IGNATIUS
TURIN, ICTUS

IURIS NATURALIS, GENTIUM ET PUBLICI, NEC NON HI-
STORIARUM ET PHILOSOPHIAE PRACTICAE PROF.

PUBL. ORDINAR. BIBLIOTHECAE BOINEBURGICAE

DIRECTOR, ACADEMIAE p. t. RECTOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

de restitutione imperarum.



LITERIS HENR. RUDOLPH, NONNII, ACAD. TYP.



22 FACULTATIS IURIDICAE
DECANUS

ADAMUS IGNATIUS

TURIN, ICIUS

IN REBUS NATURALIBUS, GEOMETRIE ET COSMICE, NEC NON IN
STORIAM ET HEROSOPHIAE PRACTICAE PARS
PARS ORIGINARIA PRACTICAE FORENSIS




DIRECTOR ACADEMIAE S. RECTOR
LECTORI BENEFICIO

de rebus naturalibus, geometria et cosmice, nec non in



IN REBUS NATURALIBUS, GEOMETRIE ET COSMICE, NEC NON IN



Impensarum restitutio omnis, sive in fructus, sive in rem idque pro necessitate, utilitate ac voluptate factarum, tam bonae quam malae fidei possessori debita, si principia Acquitatis naturalis sequimur, hoc uno regitur Axiomate: Nemo cum alterius locupletetur jactura. Agnoscit hoc inter ICtos nostros PAULLUS *a)* *sed benignius est, etiam Prae-* *donis in persona haberi rationem Impensarum: non enim debet petitor ex alie-* *na jactura lucrum facere.* *b)* Neque difficile est, regulam hanc singulis Caussarum figuris accommodare. *c)* Enimvero & heic jus civile nostrum, uti alias, neque in totum a naturali & gentium recessit. *d)* Cujus quidem non inutilis pro foro Tractationis summa lustrare libet capita.

Primo quoad Impensas in Perceptionem Collectionemque fructuum naturalium juxta ac industrialium factas, eas Impensori restituendas esse sine ullo possessionis aut judicii Discrimine Leges jubent. Nimirum fructus non intelliguntur, nisi deductis Impensis. *e)* Sed licet inde sequatur, cessare naturaliter restitutionem Impensarum in fructus tunc, quum nulla fructuum sit restitutio eamque regulam in malae fidei possessore observet jus nostrum; nihilo tamen minus quoad bonae fidei possessorem ab ea recedit & hujus, si sumtum quidem fecit, nihil autem fructuum perceperit, rationem haberi vult. *f)* Cui consequens est, ut & plurium Fundorum b. f. possessor, si ex aliis fructus perceperit, ex aliis nihil; possit ex illis, quod in reliquos inutiliter fructuum causa impensum est, quoque repetere, veluti quod in sementem erogatur, si non responderint Messes, ex vindemia deducatur. *ff)*

Deinde si de Impensis in res quaeritur; diversum extat LL. nostrarum Arbitrium, id quod more solito opinantium Doctorum Curis redditum est intricatius. Equidem I.) quod Impensas *necessarias*, id est ta-

) 2 les

- a)* l. 38. ff. de Hered. pet. *b)* v. Grot. L. 2. C. 8. §. 23. 24. *c)* diligenter rem omnem excussit luculentis propositionibus Wolf. P. II. jur. Nat. §. 603-646. *d)* l. 6. ff. de I. & J. *e)* l. 36. §. 5. ff. de hered. pet. l. 46. de Usur. l. 1. C. de fruct. *f)* l. 37. ff. de hered. pet. & ibi Brunnem. *ff)* l. 8. §. 1. ff. solut. matr. quemadmodum. dos.

✠ ✠ ✠ ✠ ✠

les, quas pro ipsa rei conservatione fieri oportebat, concernit, in hoc omnes facile conveniunt, restitui illas debere tam b. f. possessori, quam praedoni, sive universali, sive singulari iudicio, id est hereditatis petitione non minus, ac si rei vindicatione ad restitutionem rei possessae condemnato, ut etiam uterque illas re integra deducat, aut actione in factum vel negotiorum gestorum utili demum consequatur. g) Quodsi vero II.) de *utilibus* quaestio incidit, ea difficultate non caret. Vulgo quidem secundum *Acursum* haec a b. f. possessore sine iudicii discrimine deduci posse statuunt, m. f. possessorem autem solum in Hereditatis petitione hoc jure munitum, in rei vindicatione vero non nisi tollere eas posse existimant. b) Sed proseribendam hanc Differentiam iudiciorum & possessionis hac in parte sentit *CUIACIUS* omnesque ejusmodi Impensas imputari posse auctori statuit, sive generali, sive speciali actione experiat, sive etiam bonae, sive malae fidei possessori, si is, quocum agitur: Dummodo res extet, in quam sumtus facti fructusque percepti sint *per l. 37. ff. de hered. pet. i)* Quem quidem magnum Interpretem hactenus, quod iudicia non distinguat, laudat *ANT. FABER k)* eoquod nulla adsit ratio, cur hic actionem specialem ab universali separemus: verum in eo taxandum putat, quod & nullum inter bonae & malae fidei possessorem discrimen agnoscere velit. Rationem enim a *CUIACIO* allatam, quod iniquum sit, sic damnum sentire m. f. possessorem, bonam haud esse & satis refelli a *IULIANO in l. 31. ff. de R. V.*, quare in eam sententiam ipse discedit, ut necessariae quidem Impensae tam malae, quam bonae fidei possessori praestentur, utiles autem b. f. possessor semper deducat, praedo non deducat, si modo paratus sit dominus, ut sine rei, in quam factae sunt, detrimento tollantur. Cui quidem suffulto Legibus nec iniquo iudicio & nos subscribere non haestamus. Atqui dixeris: si ratio, quod sciens in rem alienam impendit praedo, omne fert punctum, cur non & in necessariis Impensis idem obtineret? respondebimus cum eodem *FABRO*, quia fieri haud potest, ut sine rei, in quam factae sunt, detrimento tollantur necessariae Impensae, quippe sine quibus res aut peritura plane, aut deterior futura erat, utique vero ea utilium Impensarum esse

g) l. 5. C. de R. V. b) Gl. ad l. 38. ff. de hered. pet. i) L. 10. Obs. I.
k) L. 2. Conject. I.

poterit Indoles, ut sine rei detrimento tollantur. Porro autem quid si dominus nollit, ut viles Impensas tollat m. f. possessor? potest etenim is pro jure suo id omnino nolle: tunc vero quin illae a possessore deduci queant, ambigendum non est. Immo vero eodem loco l) quid statuendum sit, si absque detrimento rei forte tolli non possint Impensae utiles, nos edocet CELSUS. *Bonus nempe tunc iudex ex personis causisque varie constituet. Finge dominum easdem facturum fuisse Impensas; aequum sane est, ut resarciat, quousque pretiosior res facta erit. Finge pauperem, qui si id reddere cogatur, laribus & sepulchris arvis carendum habeat; sufficit tibi permitti tollere ex his rebus, quae possis, dum ita, ne deterior sit fundus, quam si initio non foret adquisitum.* Superant III.) voluptuariae, quarum intuitu ut inter bonae & malae fidei professorem quoque distinguamus, summa exigit ratio, ita ut ille has quoque deducat, hic non nisi tollat salva re. m) Neque quod praedonem concernit, hic inter judicia discrimen facere solent. Sed quod ad b. f. possessorem atinet, huic non nisi in iudicio universali voluptuarias deducere, in singulari saltem tollere permillum tradunt fere non omnes. n) Enimvero quas desuper leges in medium provocant, tantum abest, ut id evincant, ut ne probabilis quidem sit ratio haecenus prolata sit. Ait quidam: o) ratio harum Differentiarum, nescio an aliis, qui leges diversimode loquentes perplexae admodum interpretantur, explicata, haec esse viderur, quod iudicium universale, quale est Hereditaris petitio, largiores Interpretationes manumque liberaliorem, quam singularium rerum persecutio, recipit. Alius hoc colore utitur, p) quia per hasce Impensas in aliis rebus sive fructibus censetur deminuta hereditas, atque si has b. f. possessor non possit imputare, contra SCrum damno adficeretur & plus restituere, quam locupletior esset per l. 25. §. 11. ff. de hered. pet. Verum an non prior ista ratio petitionem principii manifestam continet, altera vero non aequae ad restitutionem rei singularis pertinet? Nobis certe semper visus est

) (3

non

l) l. 38. ff. de R. V. m) l. 39. ff. de her. pet. l. 37. de R. V. n) Lauterb. L. §. 3. §. 20. & L. 6. T. 1. §. 19. Struv. E. 10 §. 62. & E. 11. §. 34. Brunnem. ad l. 39. ff. de her. pet. Menke Pand. L. 6. T. 1. §. 10. Helff. Doctr. Pand. T. cod. §. 592. o) Huber in Prael. Pand. L. 5. T. 3. §. 19. p) Struv. cit. E. 10. §. 62.



non ultra modum sapere velle CUIACIUS, q) quum inter quinque ista, quibus petitio hereditatis a rei vindicatione differt, nihil quoad Impensarum restitutionem numerat, atque si cum FABRO r) dicendum, quod res est, eos, qui primi contrariam partem sustinuerunt, omnes decepti accursus, accommodans suo more juris rationem ad Leges, non, ut oportuit, leges ipsas ad juris rationem & hoc uno ipse deceptus, quod discrimen deducendarum aut tollendarum Impensarum inter b. f. possessorem ac praedonem in l. 38. & 39. ff. de hered. pet. quoad hereditates quidem, non vero quoad singularium rerum vindicationem expressum videret, neque recogitaret, in iure nostro positionem unius, non esse exclusionem alterius, omnium minime tunc, quando ad id, quod non expressum est, eadem pertinet legis ratio. Haec de Impensis. Proxima, quam praetolamur, occasio connexam huic de fructuum restitutione feret Acroasin, modo autem

NOBILISSIMUS ET CLARISSIMUS DOMINUS
LUDOVICUS SATOR

ASCIBURGENSIS

JURIS UTRIVSQUE CANDIDATUS

Cathedram JCorum conscendere parat, qui vitae suae laudabiliter hucusque peractae curriculum pro more majorum publice recensendum ipsemet Ordini Nostro taliter tradidit:

Natus anno 1747. Asciburgi patre Michaelae Sator, venatorum praefecto atque matre, Rosina genere Berninger. Curam formandae Iuventutis meae a parentibus omnium observantissimis officiorum susceptam interrupit immatura anno 1750. contingens matris mors optima, quumque multis negotiis, quae ad officium ipsius spectabant, distractus pater solus educationi meae sufficere haud videretur, subolescentem me iis artibus, quae ad humanitatem spectant, erudiendum tradidit avunculo meo, Althemici sacrorum antistiti: Qui ita se intentum Consiliis optimis atque integerrimis ipse moribus praebuit, ut Gymnasia, quod in patria floret, adscitus fuero anno 1757. alumnus. Peractis ibi 7 annis & quod superest ad aliorum aspirandi facultas data est. Adii Moguntiam atque in numerum civium academicorum adscriptus tradita accepi Juris Naturae atque Institutionum principia docente illustri atque doctissimo WILHELMO Antecessore juris ord. ac cels. Pr. Elect. a Consiliis jud. aul. Proposito, quod ceperam, Moguntiae finiendi Juris studii obstitit venationis, quam voluptate magis

q) cit. L. 10. Obs. I.

r) de Err. Pragmat. part. 2. Decad. 26. Err. 8. n. 26. seq.

magis percipienda, quam molestis quas comites habet, metiebar, recordatio. Quo fata traherent secutus Moguntia discessi, neque professus sum tyronem venatoriae.

Rudimentis triennio depositis Maecenas, cujus splendidissimo nomini inscripta est mea dissertatio, pro ea qua est clementia, ornatum me litteris commendatitiis dimisit, ut optime formatum silvarum statum qui Pborzheimii est, possem intueri. Absumio ibi anno tristissima litterae morbi, quo pater urgebatur, mortiferi nuntiae revocarunt me domum. Quod sperabam fore, ut saltem adhuc vivum reperirem patrem, adventanti fortuna mihi non reliquum fecit. Jactura tam gravis summo me moerore adsciebat, cui leniendo solam peregrinationem superesse videbam. Contendebam igitur, Castellam, Hannoveram, Lipsiam, Dresdam, Pragam, Viennam, Salisburgum, Campodunum, Augustam Vindelicorum, Segodunum, Bambergam ac Herbipolim. Quo itinere 9 mens. confecto reversus sum Moguntiam neque ad studia litterarum retuli. Principia tradiderunt mihi Juris Canonici Reverendissimus D. BEHLEN, Eminentissimi Archi-Episcopi ac Principis Electoris Nostri Suffragan. atque Official. & a Consil. sanctioribus, Sc. Historiae Imp. celeberrimus DURR, J. U. D. Juris publ. & Histor. P. P. O. Eminent. Elect. a Consil. aulicis, Pandectarum, duce Boehmero, illustris WILL, J. U. L. P. P. E. celsiss. Elect. a cons. jud. aul. Juris cambialis celeberrimus FISCHER, J. U. D. P. P. E. ac cels. P. E. a Consil. jud. aul. Cogitantem jam de adeunda sede Musarum extranea ad perdiscendas, quae reliquae erant, scientias invitavit me longe lateque pervagata Emericanae fama. Qua ductus perveni VI Non Octobr. 1769, Erfordiam, nactusque sum doctores ingenii doctrinaeque laude conspicuos, ac tanta humanitate praeditos quanta solet esse, cum maxima est. Quibus audiendis ita dedi operam, ut nullo me unquam tempore aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit. Audiendo historiam humanae, ut vocatur, naturae colere contigit illustrem WIELAND, P. P. P. E. cels. Elect. a Consil. Reg. Philosophiae praecepta moralis hausit ex ore celeberrimi RIEDEL. Logicae atque elegantiori stylo deditus fui ducibus doctissimo IOSSIO P. P. E. ac celeberrimo HADELICH Senat. Erf. Conf. ac P. P. O. Principia tradiderunt mihi juris publici, celeberrimus HOMMEL J. U. D. & P. G. P. O. Juris autem naturae, Pandectarum, juris publici, Praxeosque Juris Magnificus atque illustriss. TURIN J. U. D. Univers. p. t. Rector facult. jurid. Adfess. Juris publ. Histor. & Phil. pract. P. P. O. ac Boeneb. Bibl. Director. In Jure feudali usus sum studio Magnifici atque illustris HENNE Elect. Reg. Consil. Facult. Jur. & Jud. provincial. Adfessor & P. P. O. In Jure Canon. eruditur me magnif. ac illustris SCHORCH cels. P. E. a Cons. Reg. Facult. jurid. Adfess. civit. Erf. Conf. nec non Elect. Mogunt. Acad. Scient. util. Director. Frequentari porro in Jure criminali Doctissimum WEISMANTEL J. U. D. & P. P. E. Coronidem imposuit in docendo jure germanico ac tradendo collegio, quod vocant, examinatorio perillustri RUMPEL Phil. & J. U. D. J. P. P. O. Gymnasi Senat. Director, Imp. Acad. Nat. Curios. Sodal. ac Biblioth. nec non Elect. Mogunt. Acad. Scient. util. ab Epistolis. His in Scientiis jam biennium versatum cupido, quod reliquum erat temporis, in praxi forensi traducen-

di



di incesti: Cujus explendae gratia Eminentiss. ac Celsiss. Principi Electori, qui insaurata Emergiana sancti nominis sui memoria seculorum omnium aeternam posuit monumentum, precas obiali supplices, quibus concessa potestate judicium provinciale Exfordiense ad eundem locum dare est dignatus.

Proinde nihil sibi reliquum putavit meritisimum hic Candidatus noster ad scopum sibi praefixum obtinendum, quam ut ad publica specimina studii legalis sui admitteretur. Igitur illustratis, quos Ei transmissimus, Facultati Nostrae ex utroque jure Textibus exantlatoque Examine rigoroso, quum ad altiore in jure Gradum, qui ascenderet, dignissimum judicaverimus; proximo Lunae, qui erit 9. Septembris, horis lo-coque consueto primum lectionem, quam vocant, cursoriam in 6. 7. D. de Except. & praeser. habebit eaque finita Dissertationem suam inaugu-
ralem

DE NOVATIONIBUS

sine Praeside pro capessenda publica jura docendi Licentia propugnabit. Quos actus ut Reverendissimus & Perillustris Dominus Procancellarius, Perillustres ac Generosi D. D. Barones, Universitatis Proceres ac Cives academici omnes ut splendidissima praesentia ornare velint, pro ratione officii mei opro rogoque. Publicatum sub sigillo Facult. jurid. die 7. Sept. MDCCLXXI.

(L.S.)

Erfurt, Diss., 1770-73



f
Sb.

1018





11

1771, 3

FACULTATIS IURIDICAE 58

DECANUS

ADAMUS IGNATIUS
TURIN, ICTUS

IURIS NATURALIS, GE
STORiarUM ET PH
PUBL. ORDINAR. B
DIRECTOR, /
LECTO

de restitu



LITERIS HENR.

